

ENARRATIO

IN PSALMUM CXV.

Sermo ad plebem.

I. NOTISSIMUM arbitror esse Sanctitati Vestrae quod ait Apostolus : « Non enim omnium est fides ¹. » Et quod major esse soleat infidelium multitudo, non ignoratis : propter quod dicitur : « Domine, quis credidit auditui » nostro ²? » Inter quos etiam illi numerantur, de quibus dicit idem Apostolus : « Omnes sua quærunt, non quæ » Jesu Christi ³. » Quos alio loco dicit, non ex veritate, sed ex occasione prædicare verbum Dei, non caste ⁴, id est, non ex animo puræ et sinceræ charitatis. Aliud enim sentiebant, quod in eorum moribus apparebat ; et aliud prædicabant, ut sancto nomine placerent hominibus. Nam de his iterum dicit : « Neque enim isti Deo serviunt, sed suo » ventri ⁵. » Quos tamen Christum annuntiare permittit. Quamvis enim ea potius crederent, quæ ipsi faciebant, ut morerentur : ea tamen prædicabant, quæ si alii credentes facerent, salvarentur : non enim aliud annuntiabant præter regulam fidei. Eos quippe excludit Apostolus, dicens : « Si quis vobis annuntiaverit præter id quod accepistis, » anathema sit ⁶. » Illi non Christum annuntiant, qui annuntiant falsitatem : quia Christus veritas est ⁷. De istis autem dicit quod Christum annuntient ; sed non caste, id

¹ 2 Thess. III, 2. — ² Isai. XLIII, 1, et Rom. X, 16. — ³ Philip. II, 21. — ⁴ Id. I, 17. — ⁵ Rom. XVI, 18. — ⁶ Gal. I, 9. — ⁷ Joan. XIV, 6.

est, non animo simplici et puro, et fide sincera quæ per dilectionem operatur ¹. Terrenis quippe cupiditatibus consulentes, regnum cœlorum annuntiabant, habentes in pectore falsitatem, in lingua veritatem. Sciens itaque Apostolus etiam per Judam evangelizantem credentes esse liberatos, istos quoque ita permittit : « Sive, inquit, occasione, sive veritate Christus annuntietur ². » Veritatem quippe annuntiabant, etiamsi non veritate, id est, non vero animo. Isti loquuntur quod non credunt, et ideo reprobati sunt ; quamvis sint utiles eis quos instruit Dominus, dicens : « Quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, » facere nolite ; dicunt enim, et non faciunt ³. » Unde, nisi quia utilia non credunt esse quæ dicunt ? Sunt autem alii qui credunt, et non loquuntur quod credunt, vel pigritia, vel timore. Nam et ille servus quamvis talentum habuerit, tamen quia erogare noluit, audit a Domino iudice : « Serve nequam et piger ⁴. » Et alio Evangelii loco dictum est, quod multi ex principibus Judæorum credidissent in eum, sed non eum confitebantur, ne expellerentur de synagogis : sed etiam ipsi reprehensi atque improbatum sunt. Sequitur enim Evangelista dicens : « Ama » verunt enim gloriam hominum magis quam Dei ⁵. » Si ergo et illi qui verum quod loquuntur non credunt, et illi qui verum quod credunt non loquuntur, merito reprobantur ; quis erit servus vere dicendus fidelis, nisi ille cui dicitur : « Euge, serve bone, quoniam in modico fuisti » fidelis, supra multa te constituam ; intra in gaudium » domini tui ⁶? » Talis itaque servus nec antequam credat loquitur, nec cum crediderit tacet : nec vel sic erogat ut ipse non habeat, vel quod habet non erogando non habeat. Sic enim dictum est : « Qui habet, dabitur ei ; qui

¹ Gal. V, 6. — ² Philip. I, 18. — ³ Matth. XXIII, 3. — ⁴ Id. XXV, 26. — ⁵ Joan. XII, 42, 43. — ⁶ Matth. XXV, 23.

» autem non habet, et quod habet auferetur ab eo¹. »

II. Dicat ergo iste bonus servus cantans « Alleluia, » id est, sacrificans Domino sacrificium laudis, a quo auditurus est : « Intra in gaudium domini tui : » exultet, et dicat : « Credidi, propter quod locutus sum². » Hoc est, perfecte credidi. Non enim perfecte credunt, qui quod credunt loqui nolunt. Ad ipsam enim fidem pertinet etiam illud credere quod dictum est : « Qui me confessus fuerit » coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei³. » Ex hoc enim est appellatus fidelis ille servus, non tantum quia accepit, sed quia impendit atque lucratus est. Ita et hoc loco non ait : Credidi, et locutus sum : sed propter hoc dicit sed locutum esse, quia credidit. Simul enim credidit, et quod præmium loquendo sperare, et quam pœnam tacendo timere deberet. « Credidi, inquit, propter » quod locutus sum. Ego autem humiliatus sum nimis. » Passus est enim multas tribulationes, propter verbum quod fideliter tenebat, fideliter impendebat : et humiliatus est nimis : quod illi timuerunt, « Qui amaverunt gloriam hominum magis quam Dei. » Sed quid est, « Ego » autem ? » Diceret potius : Credidi, propter quod et locutus sum, et humiliatus sum nimis. Cur addidit, « Ego » autem, » nisi quia homo humiliari potest ab eis qui veritati contradicunt, non ipsa veritas quam credit et loquitur ? Unde et Apostolus, cum de catena sua diceret : « Sed sermo, inquit, Dei non est alligatus⁴. » Sic et iste, quia ipsa est una persona sanctorum testium, hoc est, Martyrum Dei, « Credidi, inquit, propter quod locutus » sum. Ego autem, » non illud quod credidi, non sermo quem protuli : sed, « Ego humiliatus sum nimis. »

III. « Ego autem dixi in extasi mea : Omnis homo men-

¹ Matth. xiii, 12, et xxv, 29. — ² Psal. cxv, 10. — ³ Matth. x, 32. — ⁴ 2 Tim. ii, 9.

» dax¹. » Extasim pavorem dicit, quem comminantibus persecutoribus, et impendentibus passionibus cruciatus aut mortis, humana infirmitas patitur. Hoc enim intelligimus, quia in isto Psalmo vox Martyrum apparet. Nam et alio modo dicitur extasis, cum mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis assumitur. « Ego autem dixi in extasi mea : Omnis homo mendax. » Conterritus enim respexit infirmitatem suam, et vidit non de se sibi esse præsumendum. Quantum enim ad ipsum hominem pertinet, mendax est ; sed gratia Dei verax effectus est, ne pressuris inimicorum cedens non loqueretur quod crediderat, sed negaret ; sicut Petro accidit, quoniam de se præsumpserat, et docendus erat de homine non esse præsumendum. Et si de homine non debet quisque præsumere, utique nec de se ipso ; quia homo est. Bene ergo iste vidit in pavore suo omnem hominem esse mendacem : quia et illi qui nullo pavore vanescunt, ne persequentibus cedendo mentiantur, muneribus Dei tales sunt, non viribus suis. Proinde verissime dictum est : « Omnis homo mendax : » sed Deus verax, qui ait : « Ego » dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes : vos autem sicut » homines moriemini, et sicut unus ex principibus cades » tis². » Consolatur humiles, et implet eos, non solum fide credendæ, sed etiam fiducia prædicandæ veritatis, si perseveranter subdantur Deo, nec imitentur unum ex principibus diabolum, qui in veritate non stetit, et cecidit. Si enim omnis homo mendax, in tantum non erunt mendaces, in quantum non erunt homines : quoniam dii erunt, et filii Altissimi.

IV. Hoc itaque considerans devotissimus populus fidelium Testium, quomodo infirmitatem humanam Dei misericordia non relinquat, in cujus infirmitatis pavore

¹ Psal. cxv, 11. — ² Id. lxxxii, 6, 7.

dictum est, « Omnis homo mendax : » quomodo consoletur humiles, et impleat spiritu fiduciae trepidantes, ut pene mortuo corde reviviscant, nec in semetipsis fidentes sint, sed in eo qui suscitavit mortuos¹, et linguas infantium facit disertas²; qui ait: « Cum autem tradent vos, nolite » cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim » vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis » qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in » vobis³. » Hæc ergo omnia considerans ille qui dixerat: « Ego dixi in pavore meo: Omnis homo mendax; » et videns gratia Domini se factum veracem: « Quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus quæ retribuit » mihi? » Non ait, pro omnibus quæ tribuit mihi; sed, « Pro omnibus quæ retribuit mihi⁴. » Quæ igitur præcesserant hominis, ut omnium donorum Dei non attributio, sed retributio vocari possit? quæ præcesserant hominis nisi peccata? Retribuit ergo Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro bonis. Hæc enim retribuunt, qui dixerunt: « Hic est hæres; venite, occidamus eum⁵. »

V. Sed quærit iste quid retribuatur Domino, et non invenit, nisi ex eis quæ ipse Dominus retribuit. « Calicem, » inquit, salutaris accipiam, et nomen Domini in » vocabo⁶. » O homo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, et ideo jam non homo; quis tibi dedit calicem salutaris, quem accipiens, et invocans nomen Domini, retribuēs ei pro omnibus quæ retribuit tibi? quis nisi ille qui ait: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum⁷? » Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui pro te passus est prior? Ideoque⁸, « Pretiosa in conspectu Domini

¹ 2 Cor. 1, 9. — ² Sap. x, 21. — ³ Matth. x, 19, 20. — ⁴ Psal. cxv, 12. — ⁵ Matth. xxi, 38. — ⁶ Psal. cxv, 13. — ⁷ Matth. xx, 22. — ⁸ Præterit versiculum 14. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.*

» mors sanctorum ejus¹. » Emit eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute servorum, ne pro Domini nomine servi fundere dubitarent; quod tamen eorum, non Domini utilitati, proficeret.

VI. Confiteatur itaque conditionem suam mancipium tanto pretio comparatum, et dicat: « O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ². » Ergo et emptus est, et vernaculus est. An cum matre simul est emptus? An quia vernaculus est, pro peccato fugæ suæ deprædatus, et ideo emptus, quia redemptus est? Filius enim est ancillæ secundum quod omnis creatura subdita Creatori est, et verissimo Domino verissimum debet famulatum: quem cum exhibet, libera est, hanc accipiens a Domino gratiam, ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat. Ergo iste filius est Jerusalem cœlestis, quæ sursum est, mater omnium nostrum libera³. Et libera quidem a peccato, sed ancilla justitiæ: cujus filiis adhuc peregrinantibus dicitur: « Vos in libertatem vocati estis⁴: » et rursus eos servos facit, dicens: « Sed in charitate servite invicem⁵. » Quibus item dicitur: Cum serviebatis peccato, liberi eratis a justitia; nunc vero liberati a peccato, facti autem » servi Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam⁶. » Dicat ergo Deo servus iste: Multi se martyres dicunt, multi servos tuos, quia nomen tuum habent in variis hæresibus et erroribus; sed quia præter Ecclesiam tuam sunt, non sunt filii ancillæ tuæ: « Ego autem servus tuus, et filius ancillæ tuæ. »

VII. « Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis⁷. » Neque enim inveni ulla merita mea, quando tu disrupisti vincula mea; ideo sacrificium laudis tibi debeo: quia etsi gloriabor quod servus tuus sim et

¹ Psal. cxv, 15. — ² Ibid. 16. — ³ Gal. iv, 26. — ⁴ Id. v, 13. — ⁵ Galat. v, 13. — ⁶ Rom. vi, 20 et 22. — ⁷ Psal. cxv, 17.